



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Manna Animæ Sev Exercitium Facile Simul Et Fructuosum
Illis, Qui Quoquo Modo Vacare Orationi Desiderant**

Segneri, Paolo

Dilingæ, 1699

Declaratio Operis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48281)



DECLARATIO OPERIS.

Quisquis exiguum hunc librum manu tollis, ne gra-
veris, antequam deponas, etiam ejus usum co-
gnoscere. Aliàs idem fortè tibi quod Hebræis ac-
cideret, qui cùm primâ vice egrederentur promissi-
sum manna curiosè spectaturi, id aspernati dixe-
runt: *Quid est hoc?* quia nondum degustaverant: *Ignorabant enim, quid esset.* Pono te illorum esse de numero, qui cùm ex unâ Parte satis intelligant, quanta sit Orationis necessitas, cibi scilicet, sine quo Anima citò deducitur ad mortem: deinde verò vel negotiorum multitudine, vel debilitate capitis, vel durtie cordis impediti nesciunt evolare in altum contemplationis, atque adeò nunquam intulerunt pedem terræ illi plenæ delicijs, de quâ DEUS in Psalmo locutus est, cùm dixit: *Juravi in irâ meâ, si introibunt in requiem meam:* nec habere solent gustum nisi rarissimum puræ Meditationis, quæ ad terram ejusmodi investigandam Exploratores præmittit.

Ecce igitur alimentum tibi tuique similibus accomodat-
tum, quod quasi in deserto vos pascat. Quovis manè, dum concessæ lucis primitias, quod æquum omnino est, DEO consecras, accipe sententiam aliquam scripturæ, quæ sit quasi cibus electus, parvus quidem, sed succi plenus: tum genu flexus, si possis, aut, si id nequeas, aliâ ratione, sed decente, positus in præsentia DEI sensim animo revolve, ita ut totum comminuas, & sic meliùs tum gustum perentiscas, tum succum exprimas. certus esto, id tibi cum tempore manna fore suavissimum, ut quod nunc dicitur *Sermo Domini*, nunc *Verbum*, quod egreditur de ore DEI; & quamvis mole minimum, quasi *semen coriandri*, nihilominus à populo non glutiebatur integrum, sed mortario vel molâ frangebatur, & quoad pore-

) (

rat,

DECLARATIO OPERIS.

rat, *tereatur*. Itaque impensè laborandum, ut penetres veritatem ejus sententiæ, quantum potes, discutiendo sigillatim per partes, certus nihil superflui manasse ex ore Divino, non particulare quidquam, quod non esset congruum, non verbum, quod non esset proprium. & ubi eam veritatem, tanquam dogma fidei, fueris reveritus, aliis quoque persuadere tibi ipsi argumentis debes, quæ vel sumuntur ab exemplis eorum, in quibus ea impleta est, vel à consensu cum ratione, vel à conformitate cum rectitudine. considerare oportet, quas inde consequentias pro utilitate tuâ deducas, & demum elicere affectus vel pudoris, vel doloris, vel timoris, vel gratitudinis, vel gaudij, vel laudis, vel admirationis, vel amoris, vel fiduciæ, quos materia suggeret, sed ante omnia non est omittenda petitio, si quidem cura salutis te tangat; hæc enim est, quæ te locupletat.

Id cum egeris eo temporis spatio majore vel minore, quod hujusmodi exercitio fuerit præstitutum, ne patiaris sententiam illam omnino excidere animo, sed ejus saltem speciem aliquam in mente quasi mannæ reliquias in vase reponito, ut interdum subinde quasi furtivè redire liceat ad illud si non ruminandum saltem repetendum, & ejus refricandam memoriam, quemadmodum cum dicto Mannâ est factum, quod semper servabatur in Tabernaculo, non ut pro alimento serviret, sed solummodo pro opportunâ memoriâ.

Itaque ut bene vertat hæc animæ tuæ fructuosa refectio, colligere statui, faventibus Superis, eam annonæ copiam, quæ in totum annum sufficiat. sed quia tenuitati meæ amplius non permittitur, satis tibi erit, quod paulatim porrigam per trimestria quatuor, quorum accipere nunc primum non dedignaberis. In eorum quolibet invenies sententiam digerendam, clarâ, succulentam, salubrem, & sic non soli speculationi idoneam, nec ad unum genus personarum adstrictam, sed omnibus communem, ut, quoad fieri potest, omni apta sit palato,

DECLARATIO OPERIS.

palato, omni hominum conditioni, genio, stomacho, modò vel parùm sint habiles ad concoquendum cibum solidum, qualis est ille scripturarum, quas propriis Latinis vocibus adduximus. & quia per annum festi dies occurrunt, qui facillè cujusvis animus ad sensum pietatis alliciunt, in his pabulum reperies ita ipsis affixum & proprium, ut tamen semper ordinetur ad usum. Verum est, me in explicandis distinctè his sententiis fortè sapius fuisse, nescio dicamne in copiam, an in prolixitatem effusum. ut ut sit, nolim ideo me accusas, dum non ignoras, quot sint alij, quorum paucior calamus vel mendicitatis vel infelicitatis arguitur, etsi maximo studio brevis esse laboret. quanquam, ut verum fatear, non hæc fuit causa, quæ movit. Si instruendo has dapes aliquando lautitiæ studui, potius eorum gratiâ feci, qui instar nutricum cibantur, ut cibent. quis autem nescit, si istis non suppetat alimentum copiosum, difficulter id posse derivare in alios. In arbitrio tuo est tantum sumere, quantum tibi conducit. Sicut è contrario, cum jam satur es, atque contentus, non est aviditate præposterâ quærendum aliud ex his, quæ proximè sequuntur, sed in proposito conquiesce, secus accidet, ut non tam nutriaris, quam graveris. Hæc, si meministi, lex erat, quam DEUS in Deserto servavit cum suis. quia, quantumvis manna illis suppeditaret non copiosum tantum sed superfluum; volebat tamen à quoquam tolli, nisi quod singulis dimeriebatur in dies: *Colligat, quæ sufficiunt per singulos dies.*

Quodsi mense aliquo una ejusmodi sententiarum supersit, sive quia illarum numero non integrè respondent dies, uti, cum festa Mobilia occurrunt, sive quia ob ægritudinem, negligentiam, fastidium, aliâmvè causam similem illâ opportunè usus non es, relinque tantummodo, uti Manna, quod destinato die non usurpatum altero peribat. & cum rediveris in conspectum DEI, primò culpam agnosce, si reus fueris, negligentie commissæ, dole, erubescere, & tum resume exercitium propositum

DECLARATIO OPERIS.

fitum à sententiâ, quæ illi diei fuerit præfixa, quin ullo modo ordinem pervertas.

Obsecro, ne unquam, quantum fieri potest, in eam negligentiam prolabaris. nihil peritur, quod non jam multi facilimum esse probaverint. Certè profectus, quem hinc capies, longe erit major labore. Quodsi deinde resiliis affirmando, nullum in eo te gustum invenire, cave, quia id proficisci non potest nisi à corrupto Palato. scias porrò Manna se accommodasse voluntati cujusvis. *Ad quod quisque volebat, convertebatur.* ut adeò idem esset velle accusare Manna, tanquam insipidum, & insuave, ac dicere se malè dispositum.



JANUA-